



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones De Matrimonio

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio IX. Argumentum. Sex sunt, de quibus differit hæc Decisio circa Libellum Repudii, quo Judæi dimittebant Uxores suas, ex Deuteron. 24.1. Videlicet, Quænam esset Formula eiusdem Libelli? & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94595)

nulla repudium domus sensit : jam verò repudium votum est, & quasi Matrimonii fructus.

Ad Decimum tertium Exemplum Sinensium, ac Decimum quartum Mahometanorum & Turcarum, repudia Uxorū frequentantium responderetur, eos non attendere Jus naturæ; sed à blanditiis Lūxiæ trahi; nam, ut ait Seneca in *Tragœd.* 9. *Totum per orbem maximum est exortum malum Luxuries pestis blanda; & Valerius Maximus lib. 9. c. 1. Blandum malum est Luxuria, quam accusare aliquantò facilius est, quam vitare.* Nationes prædictæ carnales motus si cohibere vellent, & juxta lumen naturæ, ac rationis regulam discurrere, cognoscerent utique, Jure naturali insolubilia esse conjugia; ac eidem Juri repugnare repudia, dimissionemque Uxorū. At, ut Claudianus cecinit:

*Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitrius bebetat caligine mentem.*

Et hac de causa non advertunt, se offendere Jus naturale, dum Matrimonia sua faciunt temporanea, ac solubilia; nec eorum perpetuitatem servant, quamvis à natura inditam, atque præceptam.

Sed requiret aliquis. Matrimonia Pagānorum, & Turcarum suntne valida, vel invalida? Et iidem, dum illa solvunt, repudiantes, ac dimittentes Uxores suas, peccantne mortaliter? Has esse molestissimas instantias, & quæsitā difficillima scribit Emin. Card. de Lauræa de *Matrim.* 42 *trim. disp. 17. num. 173.* siquidem, quod eorum Matrimonia sint valida videtur decifum ab Innocentio II. in cap. *Gaudemus De Divort.* ubi hæc ejus sunt verba: *Qui secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem, cum tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente, licite poterit aliam, ad Christi fidem conversus, habere &c.* Ergo Matrimonia infidelium sunt valida. At è contra Gregorius Nonus in cap. *fin. De conditionib. apposit.* sic habet: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta si aliter dicat alteri, contrabo tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus ditiorum &c. Matrimonialis contractus caret effectu.* Sed insolubilitas Matrimonii est de ejus substantia. Glossa in d. cap. *fin. Verb. contra substantiam conjugii.* Ergo infidelium Matrimonia inita cum facultate illa repudiandi, atque dissolvendi non sunt valida. Pro conciliatione horum textuum, & solutione dubii sic est distinguendum:

43 Vel Pagani contrahunt Matrimonium cum pacto expresso, vel tacito illud dissolvendi per repudium; & tunc invalidè contrahunt, & eorum Matrimonium est nullum juxta d. cap. *fin. de condition. apposit.* Vel contrahunt cum sola generali intentione ducendi Uxorem juxta ritum suum, & consuetudinem nationis absque formali, seu actuali voluntate repudii; & tunc eorum Matrimonia sunt valida juxta d. cap. *Gaudemus. de Divort.* prout ita distinguendo respondet Emin. Cardin. de Lauræa d. *disp. 17. à n. 176. & seqq.* ubi allegat Sanchezium de *Matrim. lib. 5. disp. 12.* qui alios DD. ita sentientes cumulat; quibus ad-

dendi sunt Salmanticenses in eod. tract. de *Matrim.* tract. 9. cap. 4. num. 26.

Ad aliud Quæsitum, An infideles, Pagani, ac Turcæ peccent mortaliter, dum Uxores suas repudiant, ac etiam quo ad vinculum Matrimonii dimittunt? Respondet ipsemet Emin. Cardin. de Lauræa d. *disp. 16. de Matrim. n. 15. in fine,* quod si invincibiliter ignorent legem insolubilitatis Matrimonii esse divinam, non peccant, secus si sciant; & idem repetit eadem *disp. 16. n. 27. & n. 52.* quæ doctrina confirmatur ex illo Theologorum principio, quod ignorantia invincibilis excusat à culpa etiam in lege Divina, & in rebus Fidei. Emin. Card. de Lugo *disp. 13. de Virtute Fidei Divinæ n. 24.* Baldellus in *Theolog. Moral. tom. 1. lib. 1. disp. 26. n. 13.* Suarez de *Legib. lib. 3. cap. 18. n. 11.* Sanchez in *Decalog. lib. 1. cap. 16. n. 21.* & cæteris melius idem Emin. Card. de Lauræa in tract. de *Fide disp. 12. à n. 71. & seqq.* ubi auctoritates, ac probationes plurimæ.

DECISIO IX.

ARGUMENTUM.

Sex sunt, de quibus differit hæc Decifio circa Libellum Repudii, quo Judæi dimittebant Uxores suas, ex *Deuterom.* 24. 1. Videlicet, Quænam esset Formula ejusdem Libelli? & quibus cæremoniis daretur? An per ipsum solveretur Vinculum Matrimonii? An fieret absque culpa? Quibus de causis Uxores dimitterentur à Maritis? An ipsæ possent Maritos dimittere? Et an in præfenti licitum sit Repudium Uxorū inter Judæos, & alios infideles? Hæc omnia Juribus, Rationibus, Patrum Auctoritatibus, atque Historiis enucleantur.

SUMARIUM.

- 1 Judæi per libellum repudii solvebant Matrimonium: & num. 2.
- 3 Deuteronomium est quinta pars Legis Divine.
- 4 Lex Divina primum scripta in uno volumine, postea in quinque.
- 5 Deuteronomium hebraicè Misnè, idest reiteratio Legis.
- 6 Deuteronomii liber quando scriptus à Moysè? & cur scriptus?
- 7 Moyses quot annis ante Christum mortuus sit?
- 8 Formula libelli repudii, quam adhibebant Judæi.
- 9 Julii Mauroceni Neophiti liber laudatus.
- 10 Cæremoniæ decem, quas servabant Judæi in dando libello Repudii.
- 11 Libellus repudii solvebat vinculum Matrimonii.

- 12 Uxor hebræa repudiata alteri nubere poterat.
- 13 Adulteria non erant tolerata apud Judæos. & num. 21.
- 14 Uxor repudiata post mortem secundi Mariti non poterat reverti ad primum.
- 15 Sacerdotes Hebræici à quibus fœminis deberent abstinere?
- 16 Uxor repudiata, & alteri nupta cur dicatur polluta, & abominabilis? & num. 19.
- 17 Uxorcidia inter Judæos ex denegato Libello repudii.
- 18 Magistri sententiarum opinio de illicito hebræorum repudio.
- 20 Libellus Repudii an excusaret tam à pœna, quàm à culpa?
- 21 Tolerantia transgressionis legis non scribitur in Libro legis.
- 22 Præceptum est lex, non tolerantia contra legem.
- 23 Scripturæ Sacræ Veritas, ac Auctoritas irrefragabilis.
- 34 Lex Moysæ est Lex Divina data à Deo per Moysen.
- 26 Verba Sacra Scripturæ in proprio sensu sunt intelligenda.
- 27 Controversia antiqua, & indecisa, quæ fuerint causæ Repudii?
- 48 Rabbiorum discordia circa causas repudiandi Uxores.
- 29 Inhonestas Uxoris sola causa Repudii secundum aliquos DD.
- 30 Adulterium pœna mortis à Judæis plectebatur.
- 31 Adulterii suspicio poculo zelotypiæ purgabatur.
- 42 Causæ plures pro dando Uxoribus repudio.
- 33 Fœtor mulierum vel ex stomacho, vel ex naribus.
- 34 Polypus intra nasum duplex; & quid sit?
- 35 Turpitudine Moralis in Uxores quænam sit?
- 36 Uxores Judæorum an possent repudiare Maritos?
- 37 Exempla Uxoribus quæ dederunt Libellum repudii maritis suis.
- 38 Costobarus Maritus Salomes sororis Herodis ab ea repudiatus. Et lex Juliani, quod Uxores possent dimittere Maritos.
- 39 Uxoribus non erat concessum repudiare Maritos.
- 40 Æqualitas an semper servanda in contrahentibus?
- 41 Religiosi Societatis Jesu post Vota biennii non possunt discedere à Religione; sed illa potest eos expellere.
- 42 Salome soror Herodis de factò, & præpotentia repudiavit Maritum.
- 43 Costomari Mariti Salomes infelicissimus finis.

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VI.

- 44 Uxores genere, aut divitiis elate opprimunt Maritos humiles.
- 45 Julianus Apostata hostis Religionis, & Dei.
- 46 Repudii facultas, quam olim Judæi habebant, nunc revocata.
- 47 Lex Moysæ quo tempore cessaverit?
- 48 Christus Dominus abolevit dispensationem repudiandi Uxores.

Tertia objectio, quæ facta fuit contra indissolubilitatem Matrimonii, dum eam provenire à Jure Divino, ac Naturali diximus supra Decif. VII. num. 37. deducta fuit ex repudio Uxoribus, quod Judæis licitum erat facere, dimittendo illas per libellum Repudii ad effectum, ut soluto Matrimonio inter eos, ad alias nuptias uterque conjux posset convolare, ut legitur in libro Deuteronomii cap. 24. in princ. quapropter in præsentem resolvenda est prædicta objectio; & ad hoc ut clarè, etsi compendiosè, studiosus Lector conspiciere valeat ea omnia, quæ sparsim, ac confusè scripserunt Auctores tum antiqui, tum moderni de Libello repudii Judæorum, hic examinabimus.

- 1 Qualis esset libellus Repudii apud Judæos?
- 2 An Repudium eorum cum Uxoribus esset quoad thorum, & cohabitationem tantum? An etiam quo ad Vinculum Matrimonii?
- 3 An tale Repudium Uxoribus esset sola permissio excusans à pœna; non autem à culpa? vel esset vera dispensatio Legis Divinæ excusans tam à pœna, quàm à culpa?
- 4 Quibus de causis fieri poterat prædictum Repudium ab iisdem Judæis?
- 5 An Jus dandi libellum repudii competere tam Maritis ad dimittendas Uxores, quàm Uxoribus ad repudiandos Maritos?
- 6 An in præsentem daret inter Judæos hoc Jus, & licitè possint ab eis practicari repudia?

Quo ad Primum. Præmittere oportet verba Moysis in libro Deuteronomii cap. 24. in princ. ubi sic loquutus est ad Hebræos: Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam; & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, scribet Libellum Repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo sua. Cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior Maritus recipere eam in Uxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino. Per hæc igitur verba populus Hebræus sibi suam habuit, licere Uxores suas dimittere per libellum Repudii, quodcumque cum eis odium contraxerint; & hanc facultatem sibi concessam à Lege Divina, per eundem Moysen promulgata; si quidem Deuteronomium est quinta pars Pentateuchi, id est totius voluminis ejusdem Legis Divinæ, quæ in unico codice primitus erat conscripta; & per antonomasiam vocabatur Lex: prout legimus

legimus in *Matth.* 12. 36. ibi : *Quod est mandatum magnum in Lege ?* nec non *Luc.* ult. 44. ibi : *Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege Moysi, & Prophetis, & Pſalmis de me.* Fuit poſtea integrum illud volumen diſſectum in quinque libros, videlicet *Genefis*, *Exodi*, *Leviti*, *Numerorum*, & *Deuteronomii*; & in hoc quinto Libro fit repetitio, atque major explicatio Præceptorum exiſtentium in libris *Exodi*, *Leviti*, ac *Numerorum*; unde à Rabbiniſ vocatur *Mifne*, ideſt iteratio legis, quæ data fuerat Hebræis à Deo per Moysen in Sina ante annos 38. & ab eodem Moysen fuit repetita, & conſcripta in hoc *Deuteronomii* libro paulò ante ejus mortem; ideſt anno 40. exitus ex *Ægypto*, antequam populus tranſiret *Jordanem*, & ingrederetur in terram *Chanaam*, ut notat *Cornelius à Lapide in princ. Comment.* ad eundem *Librum Deuteronomii* ubi ſubdit, cauſam hujus repetitionis, & novæ Legis conſcriptionis extiſſe, quia jam mortui erant omnes *Senes*, qui ſecum exierant de *Ægypto*, & audiverant promulgationem ejusdem Legis in *Sina*; cumque præſens populus ex filiis, ac nepotibus *Senum* deſunctorum conſtat primam promulgationem non audiviſſet, voluit illam ei repetere, & repetendo in eorum cordibus profundius imprimere; tantò magis, quia ſciebat *Moyses* ſeſe brevi moriturum; & ultima *Parentum*, *Principum*, ac *Doſtorum* verba renacius filiorum, ac ſubditorum mentibus inhærent. *Moyses* itaque repetiit, & publicavit iterum præcepta Legis, eaque conſcripſit in hoc *Deuteronomii* libro, atque ſervanda tradidit populo, & *Sacerdotibus* Anno 120. & ultimo vitæ ſuæ; qui à creatione mundi erat Annus 2493. poſt diluvium Annus 836. & ante nativitatem *Chriſti* Annus 1456. ut notat *Cornelius à Lapide ubi ſupra*; cumque Hebræi reperirent in cap. 24. hujus libri permiſſum ſibi dare Uxoribus ſuis libellum repudii, prout in verbis textus ſupra relatis, utebantur hac facultate; & paſſim Uxores dimittebant, ac per ejusdem libelli dationem repudiabant.

Hæc autem erat formula, & tenor libelli repudii : *Ego Rabbi Simeon filius Rabbi Abraham, filii Rabbi David, filii Rabbi Salomonis, die prima Menſis ſecundi Anno 5296. à creatiæ mundi, hic & in hac civitate N. ex animi mei conſenſu, & ſine ulla coactione, repudiavi Rachel filiam Rabbi Moysi filii Rabbi Joſeph, filii Rabbi Jacob; & dedi illi libellum Repudii in manu, Schedam abſciſſionis, & ſignaculum diſiſionis, ut ſit à me abjecta, & abeat quocunque velit, & nemo poſſit illi prohibere, juxta Conſtitutiones Moysi, & Iſrael.* Hanc formulam ponunt; & referunt *Vatablus*, *Oleaſter*, & *Cornelius à Lapide in d. cap. 24.* *Deuter.* *Maldonatus in cap. 19. Matth.* nec non *Pignatellus Conſult. Canonicar. tom. 8. conſult. 93. num. 21.* *Julius Maurocenus Neophitus in ſuo erudito Opere Via della Fede monſtrata à gl' Hebrei part. 2. cap. 63. pag. 1032.* typis impreſſo Romæ Anno 1683. atque *Emanuel Gonzalez in Commentar. ſuper Decretal. tom. 4. ad capit. 1. De Divort. num. 6. libr. 4. tit. 19.* in impreſſione Venetæ de Anno 1699. pag. 191.

Porro omittendæ non ſunt cæremoniæ, ac ritus, quibus Hebræi utebantur in dimittenda uxore cum ſupradictò libello repudii; decem

enim erant, quas oportebat ſervare, cæremoniæ; in quibus explendis non parvum conſumabatur tempus, & à Rabbiniſ inſtitutæ fuerunt; ne repudià Uxorum fierent præcipiti animo, & in calore iræ; ſed conſultò, ac corde tranquillo ob ejusdem non brevis temporis interpoſitionem, ut ex *S. Auguſtino libr. 19. contra Fauſtum cap. 26.* oſtendit *Gonetus de Matrim. diſp. 5. num. 20.* Prima erat, ut voluntas, ac deliberatio Mariti de Repudianda Uxore manifeſtaretur Scribis, ac Rabbiniſ juſ inter Hebræos dicentibus à quibus prædicta formula repudii conſcriberetur, & interim Uxor maneret in domo Mariti. Secunda erat, ut in exponenda per Maritum voluntate ſua de dimittenda Uxore, coram Scribis, & Rabbiniſ, ſaltem duo reſtes adhiberentur, & rogarentur. Tertia, ut in libello repudii exprimerentur tres generationes tum viri, tum mulieris. Quarta, ut ſciberetur ipſe libellus litteris rotundis, diſtinctis, atque perſpicuis; itaut una aliam non attingeret, ne de aliquo vitio ſcriptura redargui poſſet. Quinta, quòd ſi inter ſcribendum aliqua atramenti guttula in chartam decideret, libellus nihil valeret; ſed alius de novo eſſet conſcribendus. Sexta, ut in libello nullum ſaluæ veſtigium appareret, ne poſſet eſſe ſuſpectus de aliquo vitio. Septima, ut charta ejusdem libelli eſſet longior, quàm latior. Oſtava, ut omnes teſtes, qui rogati interveniebant ad illum actum repudii, ſuum proprium ſigillum in eodem apponerent. Nona, ut libellum repudii, ut ſupra conſcriptum in manus Uxoris ſuæ Maritus ipſe poneret, ac conſignaret præſentibus iſdem teſtibus, Scribis, ac Rabbiniſ. Et Decima, quòd in actu ejusdem conſignationis Maritus diceret Uxori : *Accipe libellum Repudii, & eſto à me abjecta, & cuicunque Viro permiſſa.* His omnibus peractis cenſebatur factum repudium, ac Uxor diſcedebat de domo, & à poſtulate Mariti, qui nullam amplius in eandem Uxorem habebat ſuperioritatem ſeu actionem; ut diſſuſè narrat ſupradictus *Julius Maurocenus*, qui fuerat inter Hebræos doctiſſimus Rabbiniſ ante ejus conſervationem ad fidem diſt. part. 2. capit. 63. & ex Canoniſtis *Emanuel Gonzalez ad d. capit. 1. num. 6. de Divortiis.* *Jacobus Pignatellus d. tom. 8. conſult. 93. num. 20.* & *Abbas Poſcuccius ejus Summatior in Compend. Conſult. part. 1. tit. de Judeis pag. 584.*

Quo ad Secundum, in quo Queritur, Utrum præſatum Repudium, ac dimiſſio Uxorum, quod faciebant Judæi, eſſet quoad thorum, & cohabitationem tantum? vel etiam quoad vinculum Matrimonii? Reſpondent concorditer Theologi, Canoniſtæ, ac Scripturiſtæ infra allegandi, quòd diſſolvebat Matrimonium non ſolum quo ad cohabitationem, ac thorum, ſed etiam quo ad vinculum; & hoc probant ex ſequentibus rationibus. Primo, quia Lex *Deuteronomii in d. cap. 24. 2.* concedebat Uxori repudiari, ut poſſet alteri viro nubere; ibi : *Cumque egreſſa alterum Maritum duxerit &c.* Sed duos Maritos ipſa habuiſſet eodem tempore, ſi primum Matrimonium cum primo Marito non fuiſſet ſolum quoad vinculum; id, quod nunquam mulieribus fuit conceſſum. Ergò ſolutio fiebat Vinculi Matrimonialis. Secundo, quia ſi prædicta ſolutio vinculi facta non fuiſſet per libellum repudii,

13 pudii, secundum Matrimonium mulieres repudiatae fuisset adulterium. Sed Lex Moysa nec tolerabat, nec admittebat adulteria; imò ea poena mortis puniebat. *Levit. 20. 10.* Ergo. *Tertio*, quia si Matrimonium non fuisset solum etiam quo ad vinculum per libellum repudii mulieres fuissent deterioris conditionis, quam Viri; hi enim poterant ducere plures Uxores eodem tempore, ut *Deuter. 21. 15.* Foeminae autem repudiatae nulli alteri potuissent nubere, & sic coactae fuissent continere, & absque marito, tota earum vita durante stare; quod nimis durum, & poenofum foret; cum in veteri testamento inusitatum esset, perpetuam servare continentiam, & sine spe conjugii mulieres vivere. *Quarto*, quia secundus maritus, cui nubebat Uxor è primo repudiata, poterat & ipse dare repudii libellum huic mulieri. *Deuter. 25. 4.* Ergo facta erat vera Uxor secundi mariti, soluto in totum primo Matrimonio; siquidem libellus repudii non dabatur nisi verae Uxori. *Quinto*, quia Lex prohibebat, ne repudiata post mortem secundi mariti reverteretur ad primum maritum. *Deuter. 24. 4.* Ergo cum primo marito fuerat solum vinculum Matrimonii, aliàs si solum non fuisset, non erat prohibendus regressus, sed potius optandus. *Sexto*, quia in tota Scriptura Sacra non habetur, quòd à Prophetis, vel sanctis viris fuerint reprehensa secunda Matrimonia mulierum repudiarum à maritis: Sed hoc fecissent, si prima Matrimonia non fuissent quo ad vincula soluta; nam secunda fuissent manifeste adulteria. Ergo per libellum repudii solvebatur vinculum Matrimonii. *Septimo*, Lex vetabat Sacerdotibus, ne ducerent Viduas, aut repudiatas, aut meretrices, sed tantum Virgines. *Levit. 21. 13.* Ergo repudiatae tanquam ab omni vinculo Matrimonii solutae, ac tanquam viduae poterant cuicumque alteri nubere, exceptis Sacerdotibus. *Octavo*, quia Deus per os Malachiae commendat hanc dimissionem Uxorum per libellum repudii, odio interveniente; ait enim *Malach. 2. 16.* *Uxorem adulescentie tuae noli despiciere. Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel.* Ergo hæc dimissio erat quo ad vinculum Matrimoniale. *Nono*, quia libellus repudii vocatur hebraica lingua *Keritut*, ut observat Cornelius à Lapide in *Deuter. d. cap. 24. Vers. 1.* quæ vox *Keritut* significat libellum excissionis, seu abscissionis, ob hanc scilicet causam, quia vinculum Matrimonii per ipsum scindebatur, abscindebatur, & solvebatur. *Decimo*, quia Christus Dominus loquens cum Phariseis de hoc libello repudii dixit *Matth. 19. 9.* *Ad durtitiam cordis vestri Moyses permisit vobis dimittere Uxores vestras; ab initio autem non fuit sic.* Sed ab initio Matrimonium institutum fuit à Deo insolubile quo ad vinculum, ut probatum est supra *Decis. VII. num. 23.* Ergo cum aliter sit permisum in lege Moysa per libellum repudii, quam fuerit ab initio, sequitur dicendum, per ipsum libelli repudium factum esse solubile vinculum Matrimonii. Ita tenent ex Theologis Scholasticis S. Thomas in *1. 2. q. 102. art. 5. & in Supplement. 3. p. q. 67. art. 3.* Scotus in *4. Sent. dist. 33. q. 3.* Mastrius eod. libr. 4. sent. disp. 7. num. 179. Eminen. Cardin. de Lauræa disp. 16. art. 5. per totum. Gonetus de *Matrim. d. disp. 5. num. 30.* Becanus eod. tract. cap. 47. q. 2. n. 3. Ex Theo-

logis autem Moralibus Sanchez libr. 10. de *Matrim. disp. 1. num. 7.* ubi plurimos alios se antiquiores cumulat. Basilii Pontius libr. 7. de *Matrim. cap. 10.* Collegium Salmanticense tract. 9. pariter de *Matrim. cap. 3. num. 30.* ubi alios Theologos juniores ita sentientes allegat. Ex Juristis, & Canonistis Jo: Andreas, Cardinalis, Butrius, Ancharanus, Abbas, Præpositus, & alii in cap. *De infidelibus. De Consanguin. & affinit.* quos citat, & sequitur Jacobus Pignatellus d. tom. 8. consult. 93. num. 4. & ibidem Baldus cons. 428. per totum libr. 5. Tiraquellus de *Primogen. q. 66. n. 25.* & Natta cons. 621. num. 8. Ex Scripturistis verò Maldonatus in cap. 19. *Matth.* ac Abulensis ibid. num. 49. & 50. Cornelius à Lapide, atque Tirinus in *Comment. ad idem cap. 24. Deuteronom. Vers. 1. & 2.* nec non Barradius in *Concord. Evangelist. tom. 2. lib. 7. c. 19.* atque tom. 3. libr. 5. cap. 2.

Huic tamen communi Doctorum opinioni duo obstat videntur. Unum est, quòd mulier repudiata si nupserat alteri viro, vocabatur in *Deuter. 24. 4.* polluta, & abominabilis coram Domino. Cur ita? Scilicet quia ejus secundum conjugium erat illicitum, & adulterinum. Ergo primum per libellum repudii non fuerat solum quo ad vinculum, sed solummodo quo ad thorum, & cohabitationem. Alterum est, quòd talis libellus repudii permissus fuit Judæis à Moysè ob eorum cordium durtitiam. *Matth. 19. 9.* idest ad majus malum evitandum, quod evenire solebat ex odio inter maritos & uxores, idest Uxoricia. Ergo ipsa dimissio, ac repudiatio Uxorum erat malum, quamvis minus malum; eò quia vinculum Matrimonii per illam non solvebatur. Hinc Divus Hieronymus in d. *Matth. cap. 19.* scriptum reliquit: *Nunquid potest Deus sibi esse contrarius, cum aliud jussit, & sententiam suam novo frangat imperio? Non ita sentiendum est; sed Moyses cum videret propter desiderium secundarum conjugum, quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores essent, primas uxores interficere, aut malam vitam ducere, maluit indulgere discordiam, quam odia, & homicidia perseverare. Ideò Vinculum Matrimonii remansisse insolubile apud Judæos, etsi dato libello repudii, censuit Magister Sententiarum in 4. dist. 33. cujus ibi hæc sunt verba: Propter durtitiam cordis eorum permissum Christus dicit, non ut concederetur dissidium, sed ut tolleretur homicidium. Permisit fieri mala, ne fierent pejora; & hoc permittendo non Dei justitiam demonstravit, sed in peccatore minuit culpam. Quam Magistri doctrinam amplexi sunt S. Bonaventura in 4. d. dist. 33. part. 3. q. 3. & ibid. S. Thomas, atque Glossa in *Matth. 19.* sic dicens: Permisit Moyses, non Deus; fuit consilium hominis, non Dei imperium.*

His tamen non obstantibus contraria opinio est communior, à qua non est recedendum, & ad Primum argumentum contrarium responderetur, quòd mulier repudiata vocabatur polluta, & abominabilis coram Domino non ex eo, quòd alteri viro nupserat, sed quia à priori viro per repudium fuerat quodammodo infamata, ut ait Jacobus Pignatellus d. tom. 8. consult. 93. num. 12. vel quia polluta censebatur coram Deo per carnalem copulam, ac semen secundi mariti, ut responderet Cornelius à Lapide in *Deuter. d. cap. 24. Vers. 4.* cujus hæc sunt verba:

Repudiatam vocat pollutam, non quod peccatum admisisset, ineundo secundas nuptias, nam aliqui deberet vetari, ne ulterius alicui tertio nubere; sed quod ab alio, puta secundo marito, cognita esset, ejusque semine polluta. Ideoque ad priorem redire ei non liceret, quia respectu ejus abominabilis erat: vel ut habet textus Hebraicus, Quia abominatio hoc est coram Domino, quia scilicet reditus ad maritum, qui eam repudiavit, abominabilis est. Et omnino vetitus à Deo: tum quia speciem præfert adulterini concubitus hic orbicularis nuptiarum regressus, videturque fucatum, Et palliatum tantum fuisse divortium: tum quia alioquin facilius datus fuisset aditus ad divortia, Et repudia, si post secundas nuptias licitum fuisset redire ad primas. Jam vero maritus ægrius repudiabat uxorem, sciens se eam numquam recte revocare posse. Ita Cajetanus, Et Olearius. Hucusque Cornelius à Lapide.

Ad Secundum respondetur: Verum esse, quod Deus permiserit Judæis repudium propter duritiam cordis eorum, ne scilicet suas uxores, si eas repudiare non potuissent, occiderent: sed inde non sequitur, non dispensasse circa insolubilitatem vinculi Matrimonialis, quod in casu repudii concessit esse solubile ob illas decem causas supra relatas, quarum vi, & efficacia Theologi, ac Canonistæ non sequuntur opinionem Magistri Sententiarum, ut ait Pignatellus d. tom. 8. consult. 93. num. 13. Salmanticenses d. tract. 9. de Matrim. cap. 3. num. 32. & Emin. Card. de Lauræa d. disp. 16. num. 85. ubi subdit, Glossæ verba posse salvari dicendo, quod Deus non præcepit id Moyfi inter alia præceperit in Libris prioribus Exodi, Levitici, & Numerorum conscripta; sed hoc fuisse à Deo revelatum sive internè sive externè eidem Moyfi ejus præconi, ut registraret in hoc libro Deuteronomii prout fecit ultimis diebus vitæ suæ. Quapropter cum Liber iste sit Scriptura Sacra, & contra eam impium esset, ac omnino nefas opponere de mendacio, ut legitur in cap. Si ad Scripturas, dist. 9. sequitur, esse necessariò asserendum, quod toto tempore, quo duravit Lex Moysæ dissolvebatur Vinculum Matrimonii inter Judæos per libellum repudii vigore textus in Deuteronomio, dist. cap. 24. in princ.

Quo ad Tertium, in quo inquitur, An tale repudium Uxorum inter Judæos cum solutione vinculi Matrimonialis esset sola permissio excusans à pœna tantum; non autem à culpa? Vel esset vera dispensatio Legis Divinæ excusans tam à pœna, quam à culpa? Respondetur, quod licet non defuerint DD. Catholici, qui opinati sint, prædictam uxorum dimissionem per libellum repudii fuisse simplicem permissionem, seu tolerantiam, quæ excusaret quidem Hebræos à punitione, prout tunc iidem excusabantur ab exactione Usurarum cum alienigenis, & nunc apud nos tolerantur meretrices; illos tamen non excusabat à culpa; adeò ut quandocunque Judæi dimittebant Uxores, mortaliter peccabant; ut scripserunt Theologi, ac Canonistæ, quos longa manu allegat Sanchez de Matrim. d. lib. 10. disp. 1. num. 5. Nihilominus probabilior est sententia eorum, qui docent, repudia Uxorum, quæ fiebant ab Hebræis, durante lege Moysæ fuisse licita, & immunia à

peccato, quia Deus pro tunc dispensaverat legem insolubilitatis Vinculi Matrimonialis, quod probant: Primo, quia nullus Legislator, quando simpliciter tolerat aliquid fieri contra legem propriam, vel superioris, scribit suam tolerantiam per viam Edicti, vel legis positivæ in codice legum. Sed Moyses jussu Dei vel inspirantis, vel alloquentis scripsit in Deuteronomio permissionem libelli repudii. Ergo non fuit simplex tolerantia; at vera dispensatio, quæ faciebat licitum ipsum repudium. Secundo, tantò minus, quia tolerantia transgressionis legis, esto quod redigatur in scriptis, numquam scribitur verbo præceptivo; nam tali modo transgressio daretur in præceptum. Sed dare libellum repudii habetur per modum præcepti in Deuteronomio, cap. 24. in princ. ibi; Scribet libellum repudii, Et dabit in manu illius, Et dimittet eam de domo sua, prout etiam in Malach. 2. 16. Cum odio habueris (Uxorem) dimitte, dicit Dominus Deus Israel. Ergo illa dimissio, non erat simplex tolerantia, seu conniventia; sed vera concessio, facultas, ac dispensatio. Tercio, si illa permissio fuisset sola dissimulatio, seu tolerantia, Moyses decepsisset populum, & dedisset animam offendendi Deum per frequentiam repudiorum. Ad hoc nefas est asserere de Sanctissimo Propheta Moysæ. Ergo. Quarto, si permissio repudii in lege exarata non dicatur vera concessio, ac dispensatio, ruit totius Scripturæ Sacrae veritas, ac auctoritas, quia de quacunque re allegabitur textus Sacer, dici poterit, contrarium esse credendum. At hoc est absurdum intolerabile. Ergo permissio repudii manifestata in libro Deuteronomii non fuit dissimulatio, vel conniventia; sed vera, & propria concessio, excusans ne dum à pœna, sed à culpa. Quinto, totus Pentateuchus licet dicatur Lex Moysæ, quia exaratus à Moysæ, tamen est Lex Divina, data à Deo loquente per Moysen præconem suum. Ergo permissio libelli repudii est dispensatio Vinculi Matrimonialis concessa à Deo, & per Moysen in libro Deuteronomii registrata. Sexto, si prædicta Uxorum repudiatio non fuisset licita, sed peccaminosa, Judæi sapius fuissent de ea reprehensi à Prophetis, quibus mandabatur à Deo, ut legitur in Isaia cap. 58. Vers. 1. Annuncia populo meo scelera eorum. At nullus unquam redarguit Hebræos de hac repudiatione. Ergo erat licita, & absque peccato. Septimo, si dispensatum non esset super insolubilitate vinculi Matrimonialis, conjugia, quæ contrahebant Uxores repudiatæ, fuissent adulteria. Sed hæc in Lege Moysæ puniebantur pœna mortis, ut dictum est supra Levit. 20. 10. & tamen nullibi legitur statuta pœna contra prædicta conjugia Uxorum repudiarum; imò eadem rata habebantur in Deuteronomio, d. cap. 24. 4. Ergo erant licita, & absque peccato, attentà Dei dispensatione. Octavo, quia S. Jo. Chrysostomus Homil. 32. in Matth. dicit: A peccato abstulit culpam Legislator, quando permisit repudium. Nonò, quia ex S. Augustino lib. 3. de Doctrina Christi. cap. 10. Verba Sacra Scripturæ in sensu proprio, & nativo, quoad fieri potest, sunt intelligenda. Sed in Deuteronomio cap. 24. & 25 in Malachia cap. 1. verba sunt, ut Uxor odiosa, vel foeda dimittatur. Ergo dimissio debet esse licita,

cita, & absque culpa. Decimò, eatenus potuisset censer peccaminosa prædicta dimissio, quatenus per illam remansisset insolutum vinculum prioris conjugii. Sed illud solvebatur per libellum repudii, ut probatum est supra à num. 11. & seqq. Ergo repudium erat non solum permissum ad effugiendam poenam, sed etiam concessum per dispensationem Divinam ad evitandam culpam; prout concorditer tenent omnes Theologi Scotistæ, ac Thomistæ cumulatim per Sanchezium de Matrim. d. libr. 10. disp. 1. num. 7. Gonetius d. disp. 5. ejusdem tract. num. 28. Salmanticenses d. tract. 9. cap. 3. num. 30. 31. Barradius in Evangel. tom. 3. libr. 5. cap. 2. Matritius in 4. Sent. d. disp. 7. num. 179. Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 16. de Matrim. art. 6. per totum. Et ante illum Emin. Card. Bellarminus libr. 1. de Matrim. cap. 17. & alii, quos allegat, & sequitur Emanuel Gonzalez in cit. cap. 1. de Divort. num. 6. tom. 4. cum quibus concordat Barbosa in collect. DD. ad cap. Cùm in lege. 23. q. 4. num. 2.

Quo ad Quartum. Si quaerimus, quibus de causis dari poterat libellus repudii Uxoribus Hebræorum? dicendum, hanc semper fuisse questionem disputabilem, & indecisam tum apud Scribas, ac Phariseos, aliosque Legis Doctores tempore Legis Mosaycæ, quam ea extincta apud Theologos, ac Jurisperitos nostros. Hinc scriptum est ab Evangelista Mathæo cap. 19. Vers. 13. quod accesserunt ad Jesum Pharisei, tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa? Quod loci subdit Cornelius à Lapide: Præter hæc questio de dimissione Uxoris tempore Christi, uti & jam, valde fuisse controversa, ac cornuta, & captiosa; ideoque eam Christo proposuerunt Pharisei, ut eum tentarent, caperent, & carperent. Si enim Christus diceret, non licere uxorem dimittere; in multorum divitum, & carnalium, qui contrarium faciebant, invidiam incurrebat. Si vero diceret id licere, suggillasset doctrinam ejus, velut imperfectam, & carnalem; ejus inquam, qui perfectionis, & spiritus volebat esse Magister, quasi Doctor à Celo missus.

Præciatus Julius Maurocenus Neophytus, & antea Rabbini in d. suo opere *Via della Fede* Esc. part. 2. cap. 63. pag. 1013. refert verba hebraica Libri Talmud, quæ in vulgari hæc sunt: 28 La Casa di Sciammai, dice, non discacci l'huomo la sua moglie col ripudio, se non quando haverà trovato in essa cosa brutta, o di bruttezza; perche è scritto: Quando troverà in essa bruttezza di cosa. E quelli della Casa di Hillel dicono: Ancora quella, che da fuoco, & abbruccia il cibo cotto, essenao scritto: Quando troverà in essa bruttezza di cosa. Rabbi Akiba dice: Anche quando troverà un' altra avvenente, & bella, e destra, essendo scritto: E sarà, se non haverà essa trovata gratia ne gl'occhi di lui. Ex quibus verbis Libri Talmudici deducit ipse Maurocenus, quod inter Rabbinos sui temporis, prout olim inter Phariseos, tres erant opiniones circa causas repudii. Una, quod esset licitum tantummodò, si Uxor reperta fuisset inhonesta, quia verbum Deuteronomii 24. 1. Propter aliquam scditatem, refertur ad actus inhonestos. Altera, quæ extendebat verbum scditatis ad quoscunque actus incongruos, & servitia domestica per Uxorem malè, ac imprudenter acta.

Tertia, quæ aditum liberum dabat Maritis repudiandi Uxorem ob quamcunque causam sibi placentem, velut si pulchriorem, vel ditiozem mulierem vellet in novam Uxorem ducere; undè concludit d. cap. 63. pag. 1034. Era appresso loro una Questione indecisa; onde à capriccio la maggior parte dell' Hebraismo prendeva libertà secondo la sentenza più larga di dare il repudio.

Cæterum, Rabbiorum propositionibus relictis, agentes de causis Repudii apud Judæos juxta nostrorum Interpretum, ac Theologorum sententiam duæ sunt opiniones circa causas prædictas. Una est Tertulliani libr. 4. advers. Marcion. cap. 3. Pauli Burgenfis in Deut. 24. addit. 1. & Riberæ in Malac. 2. qui opinantur, unicam tantum fuisse causam, scilicet adulterium, vel suspicionem adulterii ob aliquem actum Uxoris impudicum, seu venereum, ea ratione, quia ubi nostra versio vulgaris in d. cap. 24. Deuter. habet propter aliquam scditatem, hebraicus textus ait, quoniam invenit in ea Guerva Dabar, quæ verba significant scditatem proveniente à re venerea, ut notat Barradius tom. 2. in Evang. lib. 7. cap. 19. col. 6. dicens eadem verba haberi in Genes. 9. ubi Cham vidit virilia Patris sui nudata; & Levit. 18. ubi præcipitur, ne quis discooperiat turpitudinem patris sui, vel matris suæ; idest partes pudendas, quarum aspectus modestiam, honestatemque offendit. Hinc subdunt, Christum Dominum respondisse Phariseis eum interrogantibus de causis repudii. Matth. 19. 9. Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit Uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur; & qui dimissam duxerit, mæchatur. Ex quibus verbis inferunt Burgenfis addit. 2. in Deut. 24. & Riberæ in Malach. 2. num. 36. Christum innuere voluisse, quod in lege veteri non erat licitum dare libellum repudii, nisi ob fornicationem; quæ in conjugatis dicitur adulterium. Si non videtur autem probabilis hæc opinio, quia si adulterium Uxoris erat manifestum, pledebatur poena mortis ex Deuter. cap. 22. Vers. 22. ibi: 30 Si dormierit Vir cum uxore alterius, uterque morietur, idest adulter, & adultera. Sola verò adulterii suspicio purgabatur hæstu populi zelotypiæ juxta Dei ordinationem exaratam in lib. Numeror. cap. 5. à num. 12. & seqq. ubi num. 27. dicitur, cum biberit, si polluta est, & contempto viro adulterii rea; pertransibunt eam aque maledictionis, & inflato ventre computrescet femur: eritque mulier in maledictionem, & in exemplum omni populo. Quod si polluta non fuerit, erit innoxia.

Alterà igitur opinio Theologorum, ac Sacræ Scripturæ Interpretum communior, & magis probabilis est, quod plures erant causæ, ob quas Hebræi dimittebant Uxores per libellum repudii; nam scditatis nomine, quam ponit Moyses in Deut. 24. 1. generaliter intelligebatur omnis turpitudine sive physica, sive moralis, quæ à marito reperiebatur in Uxore. Physica turpitudine comprehendebat, quidquid devenustabat uxorem, & illam turpem reddebatur, quoad corpus, videlicet lepra, epilepsia, frequens mania, sterilitas, vel frequens alius muliebris morbus, præcipuè fluxus sanguinis, ac oris, & narium foetor; sæpè enim accidebat, ut mulieres stomachum moveant, vel ex 33 foetore,

foetore, quem ex ore loquentes exhalant; vel respirantes transmittunt ex naribus, in quibus facta sint ulcera cacoethica, seu carunculae, aut apostemata, sive hemorroides, ac (ut ajunt Medici) polypus, idest tumor intra nasum aliquid quando simplex, aliquando cancerosus, materiam ita foetidam deponens, ut à propinquis absque stomacho tolerari non possit, ut dissertit Zacchias in *QQ. Medicolegal. tom. 1. libr. 8. tit. 1. quest. 8. num. 7. § 8.* Moralis verò turpitudine amplectebatur malos mores, aut vitia, quibus Uxor erat inclinata; nempe inordinata, pertinacia, dicacitas, ebriositas, jurgia perpetua, furta domesticarum rerum, ac suspicio veneficii, vel alterius gravioris criminis, & quidquid de Jure reddebat Uxorem valde exosam marito. His omnibus de causis licitum erat Judæis dare libellum repudii Uxoribus suis, & illas dimittere, ut scribunt in *Deuteronom. cap. 24.* Oleaster, Lyranus, Tiranus, Cornelius à Lapide, & alii; nec non Baradius d. *tom. 2. in Evangel. lib. 7. cap. 19. col. 5. § 6.* & ex Theologis S. Thomas in 3. p. q. 67. art. 6. Salmanticenses d. *tract. 9. de Matrim. cap. 4. n. 25.* Gonetius eod. *tract. disp. 5. num. 21.* Ex Canonistis autem easdem causas approbant, & admittunt Emanuel Gonzalez in d. *cap. 1. de Divort. num. 6. tom. 4.* atque Jacobus Pignatellus d. *tom. 8. consult. 93. num. 18. § 19.*

Quo ad Quintum, in quo inquiritur, Utrum Jus dandi libellum repudii competeret tam Maritis ad dimittendas Uxores, quam Uxoribus ad repudiandos Maritos? Prima facie videbatur dicendum, tam Maritis, quam Uxoribus hoc Jus commune fuisse; siquidem inter contrahentes æqualitas est servanda l. *In omnibus. 90. ff. de Reg. Jur. Bart. in l. Quintus in fin. § in l. Fidejussor. ff. Quædam. ff. Mandati.* Decius in l. *Sitibi pecuniam ff. Sicer. petatur.* Sed Matrimonium erat contractus. Ergo sicut in illo Jus dabatur Maritis repudiandi Uxores, ita & Uxoribus Jus dare oportebat dimittendi maritos. Hinc scriptum legimus in libro *Judicum cap. 19. vers. 1.* quod fuit quidam Vir Levites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit uxorem de Bethlehem Juda; quæ reliquit eum, & reversa est in domum Patris sui in Bethlehem; quo facto censetur repudiavisse maritum, ac illum dimisisse. Hoc idem fecisse Salomen sororem Herodis narrat Josephus Flavius Hebræus libr. 15. cap. 11. & ex eo Sali-
 nus ad *Annum Mundi 4028. num. 8.* scilicet ab eadem Salome repudiatum fuisse Costobarum maritum suum; eumque per dationem libelli repudii à se dimissum esse, ita scribens: *Orto ergo inter Salomen, & Costobarum dissidio, Salome libellum repudii marito mittit.* Quod muliebri repudium refertur etiam à Cornelio à Lapide d. *cap. 1. vers. 1. Deuteronom. & à Jacobo Pignatello d. consult. 93. num. 15. tom. 8.* His accedit quod scribit Spondanus ad *Annum Christi 362. num. 61.* Julianum scilicet Imperatorem legem publicasse, qua statuebat liberum esse Uxoribus dimittere maritos, subdens; *qua una lege insanus homo universos homines sub Romano Imperio constitutos, mulierum levitati subjecit.* Sed his non obstantibus veritas est in contrarium, nam, ut ex Scoto in 4. dist. 33. q. 3. in cal-
 39 ce observat Eminent. Card. de Lauræa d. *disp. 16.*

de *Matrim. num. 58.* concessio repudii in lege Moysis non erat mutua, sed viro tantum compete-
 40 bat, non è contra. Motivum autem, cur non etiam Uxori fuerit concessa potestas repudiandi; illud erat, quia repudium fuit concessum ad vitandum Uxoridicium; si enim quoties uxor fiebat ingrata, & molesta Marito, hic non potuisset se ab ea liberare per repudium, tentasset se liberare per occisionem ejus, & sic frequenter Uxoridicia à Judæis, cor perfidum nutrientibus, patrata fuissent. Hoc autem malum non urgebat ex parte Uxorum, quæ tanquam femina imbelles non poterant facile committere viricidia. Nec urgent rationes, seu exempla adducta in contrarium. Non Primum de æqualitate servanda in contractibus, quia mulieres hebrææ sciebant se contrahere cum hac inæqualitate, & cum hoc onere, ut ipse possent dimittere à Maritis, dimittere autem illos non valerent; & nihilominus consensiebant in hoc onus, & in hanc inæqualitatem cum illa nubentes; propterea contra eas stabat regula, *Scienti, & volenti non fit injuria. cap. Scienti 27. de Regul. Jur. in 6.* Exemplum simile allegari potest de Religiosis Societatis Jesu, qui post probationem biennii emittunt vota Religionis, à qua deinde ipsi non possunt amplius discedere; at ipsa Religio eos potest dimittere; quod videtur sapere injustitiam, est enim quidam contractus inter eos, & Religionem, & ad justitiam contrahens desideratur contrahentium æqualitas, quæ deficit in his votis, cum obligatio promittentis sit omnino perpetua; non autem obligatio Societatis ea vota acceptantis. Respondet autem Sanchez libr. 6. in *Decalog. cap. 9. num. 64.* quod in his votis nulla injustitia est, quia (inquit) scienti, & volenti injuria irrogari nequit. reg. scienti. de *Reg. Jur. in 6.* At emittentes predicta vota norunt eam conditionem; nam ipsis traditur antea legendum totum Societatis institutum, & biennio probationis considerandum; & specialiter hic punctus eis proponitur, quare cum libere eam scientes conditionem admittant, nulla est injuria, eò vel maxime quod quilibet suæ privatae utilitati valeat renunciare. cap. *Ad Apostolicam de Regularib. Ita Sanchez d. num. 64.* ubi prosequitur allegando alia exempla inæqualitatis in contractibus, qui tamen in jure sustinentur, ob expressum consensum partium, quæ cum eadem inæqualitate sponte contrahunt.

Non obstat exemplum uxoris illius Levitæ, quæ maritum dimisit, & abiit in Bethlehem ad domum patris sui. *Judic. 19. 1.* quia discessit ab eo ob jurgia, & similitates reciprocas, non ob libellum repudii, quod Uxor miserit marito; & sic separatio fuit quo ad thorum, & cohabitationem temporalem tantum, ut conspicitur ex lectura totius textus, in quo dicitur, ipsum Levitam maritum paulò post accessisse ad domum Socris sui, à quo, & ab ejus filia, Uxore sua, fuit benigne exceptus. Non obstat exemplum Salomes sororis Herodis, quæ repudiavit Costobarum Maritum suum: quoniam, ut ait Josephus d. *lib. 15. cap. 11.* ita egit contra morem Patriæ, & contra Legem Hebræorum de facto, & de potentia tanquam soror Regis, non ex ipsius legis permissione. Costobarus erat Idumæus, ut notat Sali-
 nus ad *Ann. 4028. num. 8.* inferior genere ipsa Salome;

Salome; cujus conjugium infelicissimum ei exstiterit; nam, præter divortium sibi ab Uxore datum, mortem quoque ab Herode cognato suo recepit, sic infligant, ac accusante eadem Uxore; verissimum est enim, quod scribit Tiracuellus *Connub. leg. 5. n. 35.* affinitatem scilicet potentiorum nocivam; & Uxores genere, aut divitiis elatas Maritos se inferiores opprimere; quare attendendum in conjugii contrahendis quod cecinit Ovidius:

Quàm malè iniquales veniunt ad aratra juveni,

Tam præclara humili Fæmina nupta Viro.
Non honor est, sed onus: species læsura ferentes,

Si qua vult aptè nubere, nube pari.

45 Quo ad legem Juliani satis est respondendo dicere, eum fuisse impium Apostatam, hostem Religionis, & Dei.

Quo ad ultimum; in quo petitur, An hodie hoc Jus repudiandi Uxores vigeat inter Judæos; & ab eis licite possit practicari? Lessius in 3. part. D. Thoma De Sacramento Matrim. 46 cap. 5. n. 92. dub. 3. negativè responder ad hoc quæsitum his verbis: *Respondet, neque apud Judæos, neque apud Gentiles nunc permittum esse repudium; & si fiat, non solvi vinculum Matrimonii.* Ratio est, quia hæc dispensatio, sicut & Polygamia, per Legem Evangelicam est sublata, quando Dominus, Matth. 19. Matrimonia revocavit ad primam institutionem, juxta quam unus uni inseparabiliter adhaerere debet. Hinc Judæus, vel Gentilis habens plures Uxores, si ad fidem conversus fuerit, compellitur, cæteris dimissis, dumtaxat primam retinere: etsi forte illam repudiasset, modo ipsa simul converti velit, ut definit Innoc. III. in cap. Gaudemus, de Divort. Idem docent, ac tenent Cornelius à Lapide in d. c. 24. Deuter. Vers. 1. in fin. Sanchez de Matrim. lib. 10. disp. 1. n. 9. & 10. ubi probat, Judæos, ac Gentiles nunc peccare mortaliter, si per Libellum repudii dimittant uxores; & hoc idem confirmat Basilius Pontius eod. tract. lib. 7. cap. 50. n. 3. Jacobus Pignatellus d. tom. 8. consult. 93. n. 23. Eman. Gonzalez in d. c. 1. de Divort. n. 12. & ibi Transmiera De Polygamia quæst. 7. per totam. Concordant doctissimi Salmanticenses eod. pariter tract. de Matrim. c. 4. n. 26. quarum verba ne tædeat Studiosum Lectorem audire, sicut me non piget ea transcribere, quæ sunt hujusmodi: *Sed talis licentia à Deo concessa Judæis revocata est à Christo Domino vel in morte ejus, in qua finita est Lex Moysi, vel in die Pentecostes, in qua promulgata est Lex gratia; vel, quod certius est, Matth. 19. ubi dicitur mœchari, qui uxorem dimiserit, & aliam duxerit, & etiam qui dimissam duxerit; quod pro Lege Evangelica sancitum esse docet D. Thom. 3. part. quæst. 67. art. 4. ad 4. Et ex tunc esse prohibitum Libellum repudii docet jus Canonicum in cap. Gaudemus, 8. de Divort. & latè N. Dominicus tom. 5. c. 23. Unde quia locis citatis reduxit Christus Dominus ad suum proprium statum, & vigorem Matrimonium, non*
Doct. Clerici Tom. II. Lib. VI.

statuendo novam legem, sed auferendo dispensationem, quæ circa indissolubilitatem Matrimonii fuerat à Deo concessa, relinquendo id in sua indissolubilitate naturali; jam illicitus est libellus repudii etiam infidelibus, qui proinde peccant, si Uxores quacunque de causa repudiant. Et idèd quando ad fidem convertuntur, cum priori nubere jubentur, nisi forte Matrimonium fuisset nullum, sicut plura sunt Matrimonia infidelium, quæ absque legitima forma contrahuntur, maxime si cum hac, vel illa fæmina solum ad tempus tacite, vel expresse nupserunt; quod judicandum est, quando inter illos consuetudo admittendi uxores vigeat; quia cum apponerent conditionem contrariam substantiæ Matrimonii, erat nullum, ut habetur ex cap. fin. De conditionib. appositis.

DECISIO X.

ARGUMENTUM.

Contra supra firmatam insolubilitatem Matrimonii obijciuntur exempla septem Regum, ac Principum Christianorum, qui dimissis primis Uxoribus, iisdem viventibus, alias sibi conjunxerunt. Item Canones quinque Pontificum, & Lex Justinii Imperatoris, in quibus censetur permessa solutio primi Matrimonii quo ad Vinculum. Pariterque Verba Christi, Matth. 19. 9. quæ videntur concedere ejusdem Vinculi solutionem. Refutantur supradicta exempla tanquam impia. Declarantur prædicti difficillimi Canones; & ostenditur in Verbis Christi, Matth. 19. 9. concedi dimissionem Uxorum, causa fornicationis, quoad thorum, & cohabitationem tantum, non autem quoad Vinculum Matrimonii, quod in Lege Evangelica est omnino indissolubile; duobus tantum Casibus exceptis, de quibus in Decif. seqq.

SUMMARIUM.

- 1 Matrimonia inter Christianos an dissolvi possint quoad Vinculum?
- 2 Constantinus Imperator filius Leonis, & Irenes, repudiata Uxore, aliam duxit. An validè? & num. 50. Anno 795.
- 3 Barda Patricius Constantinopolitanus aliam Uxorem duxit dimissa prima, Anno 858. An bene? num 52.
- 4 Lotharius Rex Francorum, repudiat Uxorem Theutpergam, & ducit Valdradam Anno 862. & num. 51.
- 5 Carolus Crassus Imperator dimittit Richardam Uxorem, & aliam assumit. Et num. 57.
- 6 Philippus Rex Galliarum repudiat Bertam Uxorem, & ducit Bertrandam, Anno 1094. & n. 58.
- 7 Præmislus cognomento Othocarus Rex Bohemæ secundam ducit Uxorem vivente prima